



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1846

CCXLVIII. Kaiser Otto III. bekundet einen zu Arneburg mit dem Erzstifte
Magdeburg getroffenen Gütertausch, am 5. Juni 997.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54572)

CCXLVIII. Kaiser Otto III. bekundet einen zu Arneburg mit dem Erzstifte Magdeburg getroffenen Gütertausch, am 5. Juni 997.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto diuina fauente clementia Romanorum Imperator augustus. Omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam et futurorum nouerit sagacitatis industria, qualiter nos ob remedium animae nostrae et parentum nostrorum nec non ob petitionem Gisilharii, sanctae Magidiburgensis aeclesiae uenerabilis archiepiscopi de quodam predio Hitzilnheim nuncupato ad sanctum Mauricium pertinente concambium fecimus quandam nostrae proprietatis curtem Sigdri dictum ad eandem sancti Mauricii donantes ecclesiam, in pago Angri nominato, ac comitatu Bernhardi ducis sitam, Atque eandem curtem cum omnibus utensilibus suis, quae patris nostri scilicet celebris memoriae Ottonis imperatoris augusti temporibus et nostris ad eundem locum pertinuerunt, hoc est in censu, quem liberi homines ad predictum locum perfoluerunt, areis, aedificiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, siluis, uenationibus, foresto, aquis aquarumve decursibus, molendinis, piscationibus, uis et inuis, exitibus et redditibus quaesitis et inquirendis cunctisque aliis appendiciis, quae adhuc dici inueniri aut nominari possunt, eidem aeclesiae Sancti Mauricii tradidimus eo tenore, ut eiusdem loci archiepiscopus de praefata proprietate ad usum ecclesiae liberam faciendi, quod uelit potestatem habeat. Et ut haec nostrae auctoritatis traditio nunc et in futuro perseueret hanc paginam manu propria corroborantes, sigillo nostro signare iussimus. Signum domini Ottonis inuictissimi Imperatoris augusti. Hildibaldus Episcopus et cancellarius uice Uuilligisi archiepiscopi noui. Data nonas Junii, anno dominicae incarnationis D. CCCC. XCVII. indict. X, anno autem tercio Ottonis regnantis XIII, imperio primo, Actum Arniburg.

Höfer, Ehrhard und von Medem, Zeitschrift für Archäologie II. S. 355.

CCXLIX. Kaiser Otto III. vereignet zu Arneburg dem Erzstifte Magdeburg das Burgward Nirechowa, am 13. Juni 997.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto diuina fauente Clementia Romanorum Imperator Augustus omnium fidelium Nostrorum tam praesentium quam futurorum nouerit sollers industria, quomodo nos ob petitionem et interuentum Gisilharii sanctae magadaburgensi ecclesiae uenerabilis archiepiscopi quoddam nostrae proprietatis burguardium Nirechouua dictum in prouincia Chutizi ac comitatu Eggihardi marchionis situm ad sancti mauricii ecclesiam, quae est in predicta ciuitate magadaburg constructa, donauimus, atque id ipsum burguardium cum omnibus suis pertinentiis in mancipiis utriusque sexus, areis, campis, pascuis, siluis, uenationibus, aquis aquarumve decursibus, piscationibus, molendinis, uis et inuis, exitibus et redditibus quaesitis et inquirendis cunctisque aliis appendiciis, quae adhuc nominari possunt, praetitulatae ecclesiae sancti mauricii in proprium tradidimus. Eo uidelicet tenore ut ejusdem loci archipresul de jam dicto burguardio liberam de hinc faciendi ad usum ecclesiae quod uelit potestatem habeat. Et ut haec nostra imperialis donatio nunc et in futuro tempore firma et stabilis permaneat, hoc praeceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signare iussimus, manuque propria ut infra uidetur corroborauimus. Signum Domini Ottonis Gloriosissimi Imperatoris Augusti. Hildibaldus Episcopus et Cancellarius vice Uuilligisi Archie-